

A Domini mirabiliter erga me declarata, alijs deprædicem & enarrem. Ita scilicet spes piorum certa est, vt nequeat confundi: & hic est affectus piorum, vt celebrent opera & gloriam Dei.

PSALMVS LXXIII.

INTELLECTVS ASAPH.  
ARGVMENTVM PSALMI.

Q Vis ille Asaph fuerit, non est certum. Hoc autem liquet, Psalmum hunc habere querimoniam piorum ex Israël, super vastitate templi, cultus, ac populi Dei, facta per gentes, siue sub rege Babylonico, siue sub Antiocho. Et pulchrè titulum habet, Intellectus, vel eruditio Asaph. Huiusmodi namq; calamitates reuera pios erudiunt, & intelligentes reddunt. Sunt autem Psalmi partes duæ. Primum, queruntur adflicti, desertos se esse à Deo, vastari templum, cultum, & synagogas Dei, & blasphemari nomen Dei per impios, Deinde pro terminanda hac vastatione & vltione inimicorum, & defensione sui orant.



*Vt quid Deus deseris in finem? feruet furor tuus contra oves pascui tui? 2. Memor esto congregationis tuæ, quam acquisuisti iam olim: virgæ hæreditatis tuæ, quam redemisti: montis huius Sion, in quo habitas.*

*Vt quid Deus deseris* ] Ebr תנח. Græc. & vulg. Lat. Repulisti. Sic & Hieron. Pagn. E. longasti. Iustin. Dereliquisti. Sic & Felix. Et Camp. verbum Deserendi posuit.

VERS. I.

LECTIO.  
Vers. 1.  
EXPLA-  
NATIO.

Exordium planè patheticum, qualia & reliqua ferè Psalmi sunt omnia, principio autem ipsum fontem mali attingunt: nempe, nec potentiam nec malitiã impiarum gentium, per quas vastabantur, sed indignationem Dei contra populum suum in causa esse, qua fiat vt libidini impiorum permittantur. *Vt quid Deus, inquit, deseris in finem? feruet furor tuus contra oves pascui tui?* Quibus verbis simul queruntur etiam, quòd nullus sit vastationis huius finis, eò quòd Deus deserat in finem vsq;: deinde, quòd sit atrox ac sæua vastitas, propterea quòd ferueat contra populum suum furor Dei. Commiserationis gratia non dicunt, *Feruet furor tuus contra nos: sed, Contra oves pascui tui.* Q. d. Quales quales sumus, tui tamen sumus, oves sumus pascui tui, quibus si à te deseramur, necesse pereundum est planè.

*Memor esto congregationis tuæ, &c.* ] Hoc versu petunt furoris diuini remissionem, vt velit Deus tandem populi sui misereri, & illius memoria placatus tangi. Non est autem præter rationem factum, quòd non dicunt, *Memor esto nostri: sed, Memor esto congregationis nõ nostræ, sed tuæ:* nec eius quæ nunc primùm cœperit esse tua, sed quàm olim acquisuisti, virgæ hæreditatis, quam redemisti ex Aegypto: videlicet montis huius Sion, non in quo nos, sed in quo tu habitas. Nihil habent quòd irato Deo cum maiore fiducia queant objicere, quàm priscam illam benevolentiam, quàm in maiores ipsorum olim declarauit: vt si peccatis ipsorum offensus, iram remittere nolit. vel benevolentie suæ olim in hanc gentem ac populum suum declaratæ, memor, placari, & tantæ calamitatis miseratione tangi incipiat. Hoc animo dicunt: Etiam si digni sumus, qui ad hunc modum vastemur, vel hoc tamen nomine nostri memor esto, quòd hanc gentem olim tibi acquisuisti ex omnibus alijs totius Orbis nationibus: quòd eam tibi veluti hæreditario iure adaptasti, & cum inenarrabili nominis tui gloria ex Aegypto redemisti: & quòd hunc montem Sion, qui nunc à gentibus vastatur, nominis tui non minùs, quàm populi tui se dem esse voluisti. Parce ergo congregationi tuæ, parce virgæ hæreditatis tuæ, parce monti Sion, habitationi tuæ: nec finas quæ tua sunt, qualia qualia alioquisunt, ab impijs ad finem vsque vastari.

Vers. 2.

*Vt quid Deus deseris in finem?* ] Videmus hoc versu, in quo omnem calamitatem iræ Dei adscribunt, quid expectandum sit populo Dei, si iram in se Dei concitauerit. Vt enim omnis in eo salus ac felicitas est, si adsit Deus plebi suæ, ac vultum suum super illam beneuolus ac propitius illustret: ita certè omnis in eo perditio est, si peccatis nostris læsa patientia Dei, in iram ac furorem fuerit mutata. Nam etiam si haud quaquam vlciscatur puniendo, impossibile tamen est, vt si nos deserat, subsistere possimus. Hinc factum est, vt nunquam potuerint premi Israëlita, donec pro se Deum habebant adiutorem ac defensorem: rursus illo deserente, haud quaquam impijs restiterint. Proinde summo opere cauendum, ne ex placato Deo faciamus iratum. Hoc autem fit per studium impietatis & iniquitatis, quàm odit. vide Iudith cap. 5. Rursus si irritatus fuerit, vt absq; mora indignationem eius studio pœnitentiæ placeamus.

OBS. 1.

*In finem.* ] Psalm. 30. dicit: Momentum in ira eius, pij verò in tentatione hac constituti nihil sentiunt aliud, quàm vastationem hanc, quæ emendandi, non perdendi gratia immittebatur, fore perpetuam, & nunquam finiendum allaturam exitium. Hic animus est adflictorum. Verùm non ita punit suos Deus, sed fidelis est, vt tandem exitum largiatur placatus.

OBS. 2.

*Feruet furor tuus.* ] Vnde hoc intelligebant? Ex impiarum gentium contra se, templum ac locum sanctum, sæuitia ac truculentia, de qua quædam hoc Psalmo audiemus. Ergo vbi in populum Dei crudeliter & atrociter grassantur impiæ gentes, indicium est non leuis alicuius iræ Dei, leuibus quibusdam peccatis accensæ: sed planè grauis cuiusdam & intolerandi furoris, enormibus peccatis prouocati. Grauem indignationem Dei declarant, si populus Dei diuturnis & atrocibus plagis obteratur. Gentium & hostium crudelitas & sæuitia grauitatem iræ Dei contra peccatores proclamant. Sic quando videmus tot Christianas ecclesias impia Mahometanorum crudelitate pessundatas, & hoc quoque atrocissimè, trucidatis senibus & infantibus, abactisque mulieribus ac iuue-

OBS. 3.

V. 2. nibus,